Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26928
Copyright: Admont, Benediktinerstift

potius nos a vobis doceri optemus. quoniam in imminentibus periculis, providamus
parvulis nostris maxime virginibus inclusis. quibus imminet
periculosissima dispersio in his locis ubi precepto augusti resistitur:
nam ceteris pax permittitur. quia iam pro dolor multi abstracti et il
lecti sunt. Illud autem scitote vos domini cardinales. quod in omnibus in qui
bus erga nos compassionem et condescensionem flagitamus. hec ante
omnia precavenda a vobis optamus. ne sic exhibeatur nimia humili
tas ut regnandi frangatur auctoritas. que romano pontifici
divinitus collata est. iuxta illud. Ecce constitui te super gentes
et super regna ut evellas. et destruas. et disperdas. et dissipes
et edifices — et plantes. In quibus verbis quia non fastus dominandi. sed actus agri
colendi exprimitur: non est contra honorem regni. in tempore man
dante deo vicia et viciosos tamquam spinas et tribulos evelli. dis
perdi. et dissipari. atque virtutum germina plantari. Item non est contra
honorem imperiale babilonie muros destrui. et muros ierusalem
peccatis exigentibus dirutos reedificari cooperantibus in idipsum
romano pontifice tamquam iesu sacerdote magno. et domino im
peratore tamquam zorobabel principe legitimo. Domus quippe
dei per potestatem antiochi prophanata et polluta non potuit emun
dari nisi cooperantibus in unum sacerdotibus onye pontifici si
milibus. et principibus iude machabeo similibus. Legitur quippe
onias pontifex iude machabeo in visione dedisse gladium
aureum ad diciendos adversarios populi dei. Sed et ieremiam
prophetam ostendit dicens. Hic est fratrum amator et populi israel. et cetera
usque et universa sancta civitate ierusalem. Cum igitur ieremiam regnante
rege babilonico et rege israel ierosolimitano iam captivo. atque
ierusalem destructa olim defunctum constet, pro populo dei et uni